


NOVA
PLANTARUM
AMERICANARUM
GENERALIA.

Authore P. CAROLO PLUMIER Ordinis
Minimorum in Provincia Franciæ, & apud Insulas
Americanas Botanico Regio.



PARISIIS,
Apud JOANNEM BOUDOT, Regis & Regiae Scientiarum
Academiae Typographum, via Jacobæ, ad Solem Aureum.

M. DCCIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.

CORTUSA.

Tab. 8.

Cortusa est plantæ genus flore A polypetalo, anomalo, ex quinque scilicet petalis inæqualibus & dissimilibus constante. Ex cuius calyce D E surgit pistillum F, quod deinde abit in fructum G ovatum, carnosum, officulo fœtum H I, in duo loculamenta diviso K, semine fœta tenui & oblongo L.

Cortusæ unicam agnovi speciem.

Cortusa arundinacea, amplis cannacotii foliis.

Ricob. de
Gymn. Pa-
tav. &
Thuanus in
Gymn. Pa-
tav.

Jacobus Antonius Cortusius, præter generis nobilitatem, sibi decus ornamentum suis ipsius studiis ac virtutibus comparavit. Semper enim fuit studiosus quam qui maxime; ac tametsi Medicinam numquam professus est, tantopere tamen simplicium medicamentorum cognitione est delectatus, & herbarum omnium, fruticum, arborum vires tam exacte cognovit, ut qui hujus rei peritior suis temporibus fuerit nominari posse nemo videatur. Obiit anno 1593. nullo Opere edito, nisi Catalogo plantarum Horti Patavini, italice Venetiis excuso.

ALPINA.

Tab. II.

Alpina est plantæ genus flore A monopetalo, anomalo, tubulato, personato, tri-fido, petalum intus continente, cuius pars anterior A A excavata & alata, posterior vero in annulum definit pistillo C floris trajectum. Calyx autem D abit in fructum E ovatum, carnosum, trifariam ab apice ad basim dehiscentem F, seminibusque fœtum H, tenuibus capillamentis placentæ affixis G.

Alpinæ unicam speciem agnovi. Plurimæ tamen insunt plantæ apud Americanas Insulas nascentes, floribus & fructibus ei affines.

Alpina racemosa alba, cannacotii foliis.

Linden. 16.
noz. 925.

Prospere Alpinus natus est Marosticæ, Oppido ad montium vincen-
tinorum radices amœno, an. 1553. patre Francisco Alpino, Me-
dico sui temporis insigni. Nactis Patavii an. 1578. Medicinæ
Doctoris insignibus, biennio post, simplicium exoticorum inda-
gandorum gratia 1580. Venetus solvens, in Ægyptum trajecit,

